

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber
specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XVI. Quod ei dominus amorem in matrem donavit.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](#)

CAPUT XV.

QUOD AMOR OMNIA EJUS NEGLECTA SUPPLEVIT.

ALIA vice, cum tempus sibi a Deo concessum inutiliter expensum in amaritudine cordis sui recogitaret, et dona Dei ut ingrata absque fructu consumpsisse rememoraret, dixit ad illam amor : « Ne turberis : ecce ego omnia debita tua recuperabo, et cuncta neglecta pro te supplebo. » Et cum hoc donum magnum sibi videretur, tamen non poterat inde consolari præ nimietate doloris eo quod tanta bona amisisset, et Deum amatorem suum, qui tam innumera bona ipsi contulit, tam ardenter non amasset, et tam infidelis ei extitisset, qui sibi et omnibus semper fidelissimus est. Cui Dominus : « Si mihi perfecte fidelis es, tunc multo carius tibi sit ut amor meus neglecta tua pro te suppleat, quam tu, ut ipse ex hoc laudem habeat et honorem. »

Melius est
animæ ut
eius
infidelitates
amor
suppleat.

CAPUT XVI.

QUOD EI DOMINUS AMOREM IN MATREM DONAVIT.

ALIA vice, circumdedit eam amor vestimento solaris luminis, et accesserunt ambo, videlicet amor et anima, et stabant in Christi præsentia, tamquam virgines pulcherrimæ. Anima vero multum affectabat propius accedere, quia quamvis illam imperialem faciem contemplaretur, non tamen illi sufficiebat. De quo dum miraretur, essetque in magno

Amor
animam ad
Cor divinum
ducit.

Omnis laus
Dei a Corde
divino.

Qualiter ad
amorem
clamat
Mechtildis.

desiderio, innuit ei Dominus manu. Tunc amor assumens animam duxit ad Dominum; illa vero reclinavit se ad vulnus melliflui Cordis Salvatoris sui unici, hauriens inde pocula omnis dulcoris et suavitatis plenissima, ibique omnis amaritudo ejus versa est in dulcedinem, et timor ejus mutatus est in securitatem. Ibi etiam de Corde Christi suavissimo esuxit fructum dulcissimum, quem assumens de Corde Dei in os suum posuit: per quod significabatur illa æterna laus, quæ de corde Dei procedit; quia omnis laus qua ipse laudatur, effluit ab illo qui est purus etiam fons omnis boni. Deinde alium assumpsit fructum, scilicet gratiarum actionem; quia nihil potest anima a seipsa nisi præveniatur a Deo.

Et Dominus ad eam: « Adhuc præ omnibus unum a te fructum desidero. » Cui anima: « O mi dilectissime Deus, et quis est hic fructus? » Et Dominus: « Ut omne cordis tui delectamentum in me solum effundas. » Tunc illa: « O amator unice, quomodo hoc possum facere? » Qui respondebit: « Amor meus in te perficiet. » Tunc illa ex nimio affectu gratitudinis dixit: « Eia, eia: Amor, amor, amor! » Et Dominus: « Tu matrem tuam nominabas MINNE¹, et amor meus erit mater tua; et sicut filii sugunt matres suas, sic et tu ab ea suges internam consolationem², suavitatem inenarrabilem, et illa te cibabit et potabit ac vestiet, et omnibus necessitatibus tuis, velut mater filiam suam unicam, te procurabit. »

1. Quod interpretatur *amor*.

2. Verbum quod magnas quæstiones circa librum *De Initiatione Christi* excitabit.